CURSUS EQUESTRIS Nottinghamiensis.

CARMEN HEXAMETRUM,

AUTORE

RICARDO JOHNSON, K.

Ludi Literarii ibidem Magistro,

Commentariorum Grammaticorum

SCRIPTORE.

LONDINI:

Typis JOHAN. MATTHEWS; in vico dicto LITTLE-BRITAIN.

MDCCIX.

CURSUS LOVISTRIS

Nottinghamienſis.

CARMEN HEXAMETRUM,

AUTORE

RICARDO JOHNSON,

Ludi Literarii ibidem Magiſtro.

Communi forma Grammaticorum

SCRIPTORE.

BRITISH MUSEUM

LONDINI:

Typis JOHAN. MATTHEWS; in vico dicto
LITTLE-BRITAIN.
M DCC IX.

DEDICATIO,

Viro Nobilissimo

GEORGIO

Comiti de *Cardigan*, &c.

Illustrissime Comes,

CUrsus Equestris propter Nottinghamiam, cùm inter alios multos non ita pridem spectator essem, admonitus ab amico in equo præterire Comitem de *Cardigan*, è vestigio in te intuens exemplar priscæ Nobilitatis spectâsse visus sum; nempe, summam Nobilitatem, summa cum Humanitate conjunctam. Tuum est, Illustrissime Comes, videre ne fallar; mihi certè non falli videor. Quare mei erga te studii, atq; Officii, meiq; de te judicii monimentum aliquod extare

volui; Idq; ex re nata arrepto argumento, carmen de ipso cursu, in quo equus ille tuus tam præclarè vicerit, futurum statui. Et tamen,

Primùm, ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
Excerpam numero: ———

Poeta nec fui unquam, nec potui esse, nec si possem, esse vellem. Dices fortè. Quid! Versus facis non Poeta? Verùm, Quid si non *Indignatio* tantùm, sed etiam, si natura negat, facit *Admiratio* versûs; Qualescunq; potest? Quales ego? — Certè mihi quidquid hoc est operis elicuit, sive extorsit potiùs *Admiratio* tui, fecítq; ut magnopere tuâ causâ cupiam. Tu si rude hoc, & inchoatum munus boni consulueris, quo animo sit profectum existimans, dignum feceris Humanitate, nec minùs Nobilitate tuâ. Verùm, nè longum faciam, vale Comes præstantissime, spes omnium de te conceptas cumulato indies, &, ad quæ natus es, summa petas. Meq; pro certo futurum habe Dignitatis fautorem, prædicatorem Laudis, cultoremq; assiduum Virtutis tuæ,

RICARDUM JOHNSON.

Dabam ex ædibus Scholæ Publicæ Nottinghamiensis XI. Calendas Aprilis. Anno Dom. M.DCC.IX.

CURSUS EQUESTER NOTTINGHAMIENSIS.

FErt animus, quo non aliud præſtantius ullum
In terris natura dedit mortalibus ægris,
Concelebrare animal cantu; ſed carmine quali
Quis generoſorum prolem decorabit equorum?
Quis fando inveniat laudem, ut virtutibus æquet?
Quis Centaurorum neſcit præconia? vel cui
Ignotus Chiron formæ commiſſus equinæ,
Naturæ bellíq; potens, artísq; medendi
Utilis, & magnus magni præceptor Achillis?
Pegaſus ob meritum cœli dignatus honore,
Pieridas monſtravit aquas, nam calcis ab ictu
Manabant ſacri muſis, hauſtúſq; perennes.
Quare agite, O Divæ, noſtris ſuccedite cœptis,
Atq; inventori laticum date præmia veſtro.
Verum unde incipiam? quis tanto ex agmine laudum
Excerpet vel magnum aliquid, parvúmve relinquet?
Nam quid equi parvum, vel quid non carmine dignum?
Formæ qualis honos! quantum decus enitet ore
Eximio! quantum membris & corpore toto!
Qualis in inceſſu! qualis cum per juga montis
Laſcivit latis pecora inter inertia campis!
Sive ultrò indoctos, per prata nitentia ludens,
Flectitur in gyros, ſpatioſóſq; implicat orbes:
Seu rectà tendens celeri pede ſæpiùs almam
Verrit humum, & vaſti metitur jugera ſepti.
Nec tamen indignæ tanto ſunt corpore vires,
Sed magìs immanes, animus nec viribus impar:
Sed mite ingenium, placidóſq; per omnia mores
Experti inveniunt. Nam quanquam pectore toto
Spiritus acer ineſt, & bello vivida virtus;
Aſt homini facile obſequium, dorſo accipit illum,
Atq; onere exultat, lætúſq; ſuperbit honore.
Et ſeu carpat iter, ſeu ſolos tendat in agros
Venatum timidum leporem, damáſve fugaces,

Vulpémve aſſutam, præſto eſt, quà flectit habenas,
Paret; & imperium nuſquam aſpernatur herile.
Quinetiam, ſi fata vocant, in bella ruentem
Geſtat ovans, gaudens vitam pro laude paciſci.
Quid, quod Apollineos jampridem venit in uſus,
Et citiùs miſeros morbo levat omnibus herbis?
Tantum dulcis equi mollis geſtatio pollet!
Cúmq; ſit ex uno tantarum gratia rerum,
Nec plauſtrum turpe, aut turpe indignatur aratrum.
Tantus amor noſtri generis! Quis talia fando
Explicet, aut meritos meritis pro reddat honores?
Propterea gens omnis equos amat, at magis omni
Gratus alit, ſtudióq; fovet, ſpectátq; Britannus:
Præcipuè celeres, *atq; in certamine cujus*
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis.
Hic proceres tenet, hic & ſummis gratus & imis;
Illos præcipuè terris magis omnibus una
Anglia progenerat, patribúſq; aliunde petitis
Sufficit ingenium; viréſq; laboribus aptas:
Et patrium emendat velox genus.
Hunc curſu exercent crebro, primíſq; ſub annis
Dum patrius vigor, & ſolidæ ſtant corpore vires,
Difficilem aſcenſu celerantem ſcandere collem,
Currere inoffenſo pede, per declivia montis
Seu placeat, pretióq; parant, palmíſq; futuris:
Ne quà fortè cadens, certandi cum venit uſus,
Dejiciat Dominum, palmáſq; inhoneſtet adeptas.
Quinetiam invitant pretiis ingentibus, atq;
Pignore depoſito, crebra ut certamina tentent.
Quale Notinghamiis diſcinctus nuper in agris
Multo uſurpatum ſtudio, rediénſq; quotannis,
Conſpexi vacuus curis, operúmq; ſolutus.
Jamq; dies promiſſa, & totum optata per annum
Tandem aderat: coëunt populus, juvenéſq;, ſenéſq;,
Matres, atq; nurus, pueri: innuptæq; puellæ
" Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ.
Non opus aut lucrum, non meſſis detinet, omnes
Concurrunt, opifex, meſſor, mercator, arator.
Patricius ſanguis Proceres magis omnibus, & quos
Poſt Proceres primos, ſtirpes de plebe vetuſtas,
Anglia nobilitat. Media inter millia fulgens,
Pulchro vectus equo, ſed & oſtro inſignis & auro,

Ingre-

Ingreditur campum lætus *Pierpontius*, & cui
Marchionis clarum alma dedit Dorceſtria nomen.
Nemo magìs Procerum ſtudio præclarus equorum;
Mille habet in ſtabulis, bis mille in montibus errant
Indomiti, ſobolémve creant, curſúve parantur.
Illum ſuſpiciunt, illum comitantur euntem
Ingenti juvenes numero, crebríſque ſalutant
Officiis, nec ſe quenquam certâſſe priorem
Pœnitet haud dignè exceptum. Non doctior alter
Legibus in campi, non alter juſtior unus,
Jurgia certantûm, & dubias decernere lites.
Parte aliâ *Granbeius* adeſt, atque ipſe magiſter
Formoſi pecoris, multò formoſior ipſe:
Multus imaginibus, titulíſque inſignis avitis
Incedit, clarum genus alte ab ſanguine *Mannors*.
Ipſe pater Grandævus abeſt Dux, quem tamen omnes
Expectant, multóque ſuper ſermone requirunt.
Ille domi reſidens charâ cum conjuge, necnon
Dulcibus & natis, parvíſque nepotibus ægram,
Sed non difficilem ſolatur more ſenectam:
Dives agris, at non poſitis in fœnore nummis.
Quippe ſuis contentus, quærendi amplius amplis
Non, ut mos aliis, attentus ſollicitúſque,
Hoſpitio indulget, foribúſq; invitat apertis;
Excipiens menſâ dites, & limine egenos.
Quinquaginta intus famuli, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere Penates.
Quinquaginta alios menſarum ad munia cernis.
Moribus atque ut herus facilis, faſtúque remotus:
Sic *nec magna Domus ſervis eſt plena ſuperbis*,
Verùm æquè hoſpitibus prompti, Dominóque miniſtrant.
Sic vitam inſtituit, ſic primis vixit ab annis,
Sic vivit ſeris, nuſquam mutabilis, & jam
Vix fando notas artes imitatur avitas.
Sic artes priſcas priſca eſt fortuna ſecuta,
Nec ſimulat fictum, fictum nec ſentit amorem.
Vive diu, Venerande Senex, & vive beatus,
Atque bonis pravos exemplis argue mores.
Quin ſi quid vatum, ſi quid mea carmina poſſunt,
Vives ipſe diu, vives poſt fata ſuperſtes,
*Semper honos, nomén*q; *tuum, laudéſque manebunt*;
Tam bene quæſitis & ſemper gaudeat hæres.

Nunc

Nunc age *Brudenellus*, ſe qualem oſtenderit almus,
Sanguine *Brudenelli* demiſſum nomen ab alto,
Et regni Comitis titulum cui *Cardigan* addit,
Muſa refer : dignum referas quem carmine mando
Muſa tibi, non inflatum tumidúmve, ſed in quo
Nobilitas minimum eſt, minimúmque putatur ab ipſo.
Non campum ingreditur cocco præſignis & oſtro,
Non facilem veſtis fulgentis captat honorem ;
Munditia at ſimplex, & forma ornatior omni
Ornatu, ac ſancti mores in fronte ſedentes
Sat juvenem populo commendant, verſus & omnis
Eſt contra, obtutúque hæret defixus in uno :
Quódque alii fruſtrà miſerâ ambitione laborant,
Arte placet nullâ, viſus non velle placere.
Demiſſos en cerne oculos, vultúmque modeſto
Sanguine ferventem, ſed quem non civerit ullum
Admiſſum facinus, nec mens ſibi conſcia culpæ.
Nec tamen idcirco præcordia frigore inerti
Languent, ingenio mitis, nec fervidus iræ
Sit licet ; at contrà tanti non degener ortûs,
Ut gaudet placidis, ſic non ſuccumbit acerbis.
O ! mihi ſi ſat erit vitæ tua dicere facta,
Adverſas acies, & condam triſtia bella ;
Sed nec ſolus erit notus *Marlburius* armis.
Macte animo, patriæq; olim ſi poſtulet uſus,
Accedas, ſúperéſq; & ſpes, & vota tuorum.
Sed quò me rapitis Proceres ? en altera gens eſt
Digna cani, & qui me ſibi vendicat ordo ſecundus.
Hos inter primus, cujus domus ardua ſolo
Inferior domino, regali condita ſumptu,
Formoſam, validámque trahens per ſæcla ſenectam,
Lætabunda caput venerabile tollit in auras,
Et Nottinghamiæ rivalem deſpicit arcem.
Hic, omni ex numero, quo Nottinghamia dives
Gaudet ovans regio, lectus de plebe Senator
Non auro vendit patriam, non vendit honore ;
Non leges fixit pretio, pretióque refixit ;
Non animum hoſtilem ſpecioſâ fraude juvantis
Occulit, atque mali plus dat, quam quod daret hoſtis.
Sed patrios ritus, & jura antiqua tuetur,
Sed libertatis cuſtos, rigidúſq; ſatelles,
Fortia lapſuris opponit pectora rebus :

Illáque

Illáque cum Phœbo vere communia dicat,
Nitor in adverſum, nec me, qui cætera, vincit
Impetus, & rapido contrarius evehor orbi.
Sed cur non alacres vultus, nec fraude benignos
Vidimus, útque domum, dominum ſic cernimus ipſum?
Cur non, ut ſolitum, pendemus ab ore loquentis?
Et facili verba excipimus condita lepore?
Miramur ſenſus & inenarrabile pondus?
Quò fugis, aut quæ te recipit domus altera? certè
Quaſcunque orbis habet ſedes, nec gratior ulla eſt,
Hâc, *Wilobæe*, tibi, néve altera Woollaton uſquam.
Abſentem te ſola domus lugubris, & uda
Rore genas luxit, cives luxêre tui te,
Warrenúſque tuus.
Aſſiduíſque fluens lachrymis te nubilus æther
Plorans, heu! miſeri proſtravit vota coloni,
Et meſſes imbre aut undis corrupit opimas.
Lætus adi, lætóſq; dies, ſolémque reduce,
Lætus adi tandem, & ſi nos non reſpicis, at tu
Agricolas miſerere tuos, ſi deſit honori
Nunquam hic ordo tuo, & merſis ſuccurrito rebus.
Sed quò te tandem, *Parkinſi*, Muſa piâclo
Non canit, & notas ceſſat componere laudes?
Tu veterum verſas libros, tu ſcripta Latina
Evolvis, ſed quæ præſens quoque protulit ætas
Digna legi, *Euclidis* quæ continet omnia nôris
Pagina docta ſenis; ſic nemo peritior alter
Aut ſtruere, aut didicit ſtructis uſúſque, decúſque
Addere, & inventis artes ſuperare priores.
Tu juris nodos, & legum ænigmata ſolvis,
Non pretio inductus, patriæ ſed commodus uni.
Sic, niſi te in ſolo, contraria credita jungis,
Nec minus es ſtudiis aptus, quàm rebus agendis.
Tu mihi, quodcúnq; hoc regni, fructúſque, decúſque
Concilias, me laude ornas, me munere donas:
Eſſe aliquid noſtras nugas & credis amicus,
Et fortè hunc tenuem non aſpernere laborem,
More licet tenuis pro magnis parva rependam.
Quin age, fœmineas tentemus carmine laudes:
Fœmineum tibi, Muſa, genus, numeróq; noveno
Pierides cunctæ ſexu lætantur eodem:
Ergo age, fœmineas laudes celebrato libenter,

Diva, nec huic mecum ſuccede invita labori.
Multæ adſunt, lætíque juvant ſpectacula campi
Formoſæ, plures vellent, ſed territat illas
Fœda lues, quâ Dî cœlo vix triſtius ullum
Demiſêre malum; formæque aſperrima peſtis;
Quæ Nottinghamiæ dudum bacchata per urbem,
Spargebat latè contagia dira veneni,
Et prope vicinas jam deformaverat oras.
Ecce venit curru primum par nobile eodem,
Candida quas fertur mater peperiſſe ſorores
Magnanimo *Pierponto*, *Trentæ* ad lata fluenta,
Florentes ambæ formis, ætatibus ambæ,
Artificíq; manu decus auctum, & veſte ſuperbâ.
Sed pudor ingenuus, caſtíq; ante omnia mores
Exornant magìs, & formoſo in corpore virtus.
Accedunt Proceres, & quiſquis proximus illis,
Accedunt, multóq; ſuper venerantur honore,
Alloquióq; tenent. Reſpondent pauca pudicæ,
Singultu tacito verba imperfecta relinquunt,
Virgineáſq; petunt mox per diverſa cohortes.
Proxima vicinas inter celeberrima Nymphas
Graia venit, ſolitum nec campo invidit honorem:
Dives opum, ſed non dives ſibi, pauper egenis,
Ditibus ut mos eſt, ſed rarum hoc tempore, rarum
Hâc ætate decus! ſaturos dimittit inanes,
Veſte tegit nudos, ignaros erudit artes:
Tantíſq; ex opibus, ſolas ſibi vendicat illas
Quæ ſuperant, & quas non poſcit pauperis uſus.
Nec *genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi*
(Et genere & proavis quamvis deſcendat avitis,)
Magna putat, magnis ſed vitam extendere factis.
Multi illam petiêre, at virginitatis honorem
Præfert illa viro, nec connubialia jura,
Nec dulces natos, Veneris nec præmia curat.
Non tanti reputans ulli ſervire marito,
Debita qui miſeris alimonia ſpargat egenis,
Vel canibus, vel equis, vel turpi prodigus uſu.
Deſperant omnes, ſolus *Meſſapus* inanes
Spes fovet, & ſterilem nutrit contemptus amorem.
At tibi, Virgo, tamen ne ſtet ſententia fixa,
Nulli te prorſus vinclo ſociare jugali:
Sed tibi ſi ſimilem multis ex millibus unum

Fors dederit juvenem, virtute & moribus aptum,
Illum conjugio tandem dignare ſuperbo,
Nec pudeat matrem te tandem dicier ipſam.
Parvulus in magna cúmq; hæres luſerit aula,
Te referat, certámq; fidem, talem ipſe futurum,
Qualis mater eras, tibi det, detq; omnibus, atq;
Non pretio blandus fallax ſpes paſcat inanes.
Et jam tempus erat reliquas celebrare canendo
Formoſas, pulchrámq; *Salam*, pulchrámq; *Favillam*;
Et nigris oculis *Geolen*, nigríſq; capillis,
Sed non & nigrâ facie, argutámq; *Melindam*
Doctam pingere acu, cantúq; accendere amorem,
Quæq; Deas demens vocat in certamina Muſas.
Et quæcunq; aliæ juvenes cepiſtis amore,
Et quæcunq; aliæ juvenum captæ eſtis amore.
Verùm aliud tempus ſperate, aliúmve Poetam:
Namq; aliò ſtrepitus, concurſus & undiq; campi
Me rapit, & magnum ſublatus ad æthera clamor.
Quò tendant, ſibi quídq; velint, exquirere certum eſt.
Ecce in convallem, magnâ ſtipante catervâ,
Curſores ducuntur equi, ſtadióq; propinquant
Lætantes noto tandem, & fatalibus arvis.
Campum primus init, fido ducente miniſtro,
Brudenelli generoſus equus, quem fama perennis
Solis equo genitum: Namq; eſt conterminus oris
Occiduis, quo Phœbus equos ſudore madentes
Oceano lavat, & lætos ad paſcua mittit,
Campus in immenſum protentus Regis Iarbæ,
Graminis exigui, & gregibus compaſtus equinis.
Proximus huic multo diſſeptus limite Phœbi
Campus divinos longè exhalabat odores,
Pernicémq; allexit equam, ut conamine magno
Trajiceret, ſpreto celſi munimine ſepti.
Et jam Phœbeis ſe tandem vidit in arvis,
In quæ pervenit, poſt omnia ſæcula, ſola
Mortalis quadrupes, & graminis attigit herbam.
Ad paſtum rediens conſpexit fortè Phlegon hanc
Tondentem Ambroſiæ campum candore nivali,
Formâq; exarſit, furiíſq incenſus amoris
Vi potitur, pulchrâq; hâc fecit prole parentem:
Jámq; bimeſtris erat, curſu prævertere matrem
Cœperat, aut ſaltem ſpernit poſt terga relinqui.

Ad primum atque alius cum nunc acceſſerat annus,
Ille gregem ducit, fluvios prior ille rapaces
Tranſilit, aut nando majores trajicit amnes.
Per pontem, ſi fors tetulit, pedes ire recuſat,
Sed magis audaci ſuperat per inania ſaltu.
Ne ſperate modum, quo noſtras venit in oras,
Ut referam, longæ ambages, narratio longa eſt:
Captus ab Angligenis, & per maria aſpera vectus,
Donatus latis ut liber curreret arvis,
Quòd patriam amiſſam; & conſumtum morte Tyrannum
Luxerit, & mœrens vix ullos præbuit uſus,
Cum ſemel amborum cepère oblivia, ſeſe
Brudenello addixit, non inferiora ſecutus.
Talis erat, talis ſtadium deſcendit in imum
Carleſſus, nomen Reginæ à nomine CARLE.
Phœniceus de patre colos, ſed candida mater
Et frontem, & calces albo diſtinxerat ambas.
Indignans ſecum, quod lege excluſus iniquâ
Multoties victor ſpoliis non certet opimis,
Gente ferox, formâque, & palmis nuper adeptis,
Paſſibus incedit peragrans ingentibus arvum,
Néve pedum celerum cuiquam obſervabilis ordo.
Omnia colluſtrans oculis metitur utrumq;
Curriculi ſpatium, & pede quo percurrat utrumq;,
Quo ſcandat collem, ac rurſus deſcendat eundem,
Volvit agens ſecum, atq; animo præſumit honorem
Cernas ut tacitum pertentant gaudia pectus.
Proximus huic ſequitur, verùm non paſſibus æquis,
Mordanti quadrupes, conceptus flamine Splintus.
Huic favor incumbit campi, quòd frater opima
Vicerat, & nondum *Carleſſus* notus, ut inſtet,
Quo pede ſtringat humum, quo turbine verberet auras.
Inflatus, tumidúſq;, & ſpe productus inani
Vincere *Carleſſum* conceperat, & ſibi palmam
Deſtinat, hoc itidem populus (proh cæca futuri,
Mens hominum fati!) jam tum tendítque fovétque,
Pignoribus duplis & confirmaverat omen.
Certè pulcher erat, dèerat nec pectore virtus
Par formæ, ventóq; ipſo non ſegnior ibat
Qui genuit, dignus reliquos qui vinceret omnes,
Si non *Carleſſo* certaverat improbus, atque
Solis equo fixos demens ſperârat honores.

Tertius

Tertius hunc ſequitur, multis præclarus adeptis
Offeij ſonipes palmis; ſed prima ſenectus,
Caſtrator malus exectíſque virilibus olim,
Effœtos artus minuítque in corpore vires.
Idem animus, decoríſq; memor, ſolitíq; triumphi;
Idem laudis amor, juvenéſq; laceſſere virtus:
Talis erat patrio dictus ſermone *Cripellus*.
Quartus erat, verùm nullo dignandus honore,
Infœlix, ceſſator iners, nec cujus, & unde,
Quóve ſit armento, vel quo ſit nomine quæro;
Quem, reliqui metam cum jam effugêre relictam,
Proximus extremo non vidit in æquore poſtis.
Et jam ſperati venit certaminis hora:
Dant notum ſonitu ſignum lituíque tubæque;
Arrectis animis, arrectis auribus inſtant
Curſores ſtadium petere, & vertuntur ad oras
Carceris, invitis quamvis ductoribus, omnes.
Sed ferus imprimis *Carleſſus* geſtit, & ardens
† *Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,*
Et patrios efflat frendens ex naribus ignes.
Accurrunt famuli, raptâq; ex corpore veſte,
Et purgare pedes properant, & cingere ſellâ:
Id reliqui faciunt, ſtadiíq; ad limina ducunt.
Jámq; in conſpectu ſtant omnes ordine pulchri,
Quales ære cavo, ſolidóve effingere ſaxo,
Artificis fruſtrà tentat manus; attamen omnes
Carleſſus ſuperat, poſitíſq; ut lubricus anguis
Jam novus exuviis, Soli ſua lumina reddit.
Quadrupedum tergis jámq; unus, & alter equiſo
Conatu facili levis inſilit, atq; locat ſe.
Ter famulus *Carleſſum* etiam conſcendere vellet,
Ter ſeſe Quadrupes erectus tollit in auras,
Ter conſcendentem pedibus morſúq; repellit.
Indignatur enim tanto in certamine, tanto
In Procerum numero, Sole ortus, pondere vili
Terga premi, imperium necnon ſervile recuſat.
Accurrit Dominus, correptúmq; increpat irâ,
Increpat indignans, ac voce & verbere ſævit.
Protinus exutis mutatus veſtibus, & jam
Pulchrior accedens habitus indutus equeſtres,
Pacatum recipit; ſcandentem invitat, & ultrò
Aſcenſûs faciles inflexo poplite præbet.

† His ears erect, impatient of delays
With trembling limbs he ſhifts & ſprings from place to place

Insilit ille levis, manibúsq; insertat habenas:
Quóq; oneris tergo fiat minus, arte peritus,
Procumbens validos se totum inclinat in armos
Pronus, ut obstantes meliùs diffinderet auras.
Idq; omnes faciunt Domini, nec sustinet ullus
Brudenellum indignis solum concurrere servis.
Stant in equis pulchri pulchris, præq; omnibus unus
Brudenellus, rectóq; expectant ordine signum.
Arripit acceptum primus *Carlessus*, & indè
Emicat ille levis, par patri, nec pede pressam
Signat humum, herbarum sed summa cacumina stringit.
Proximus hunc sequitur *Splintus*, *Splintúmq*; *Cripellus*.
Veloces visu tantum exæquantur, & illud
Sic, ut vix oculi possint servare sequentes.
Prosequitur studium pariter clamórq; faventûm.
Jam planum emensi spatium, discrimine parvo
Proripiunt sese celeres, tumulóq; propinquant,
Leniter acclivis qui primus surgit in auras.
Hic *Mordantus* equum stimulis impellit, at ille
Quo genitus fuerat volucri fugit ocyor Austro,
Carlessum extremos jam temnens inter euntem.
Mordantum inclamant socii, *Splintúmq*; faventes,
Mordantum Splintúmq; refert resonabilis *Echo*.
Verum hoc magnanimus *Brudenellus* non tulit, & "Te
"Númne *Phlegon* genitor, num patruus excitat *Æthon*
"Experiar, dixit, nec erit dubitabile verum."
Carlesso simul & stimulos & flagra minatur:
Sed magis accendit pudor illum & conscia virtus.
Protinus erupit laxas ut sensit habenas:
Nec mora, nec requies, immensis saltibus arvum
Pervolat, & ventis & fulminis ocyor alis.
Ipse propinquantem sentit jam *Splintus*, & ipse
Mordantus sentit; tum verò apparuit ingens
Certamen, partum servare hic tendit, at ille
Amissum reparare decus; jam terga premebat,
Jámq; hæret lateri, nec toto corpore *Splintus*
Est prior, ast armi soli, cervíxq; capútque.
Sic bijuges tanquam currebant ordine, totum
Quà declive fuit spatium, *Splintóq*; favebat.
Jámq; ascendebant collem, qui plurimus arvo
Imminet, & positos tres tollit culmine postes,
Dimidium cursûs, & lex est unde reverti.

Brudenello

Brudenello hîc primùm tandem ſpes alma refulſit;
Juſſit, & in dubiis meliùs conſidere rebus.
Námq; ut equi genitor, ſeu mani ſcandat Olympum,
Sub noctem ſeu deſcendat, præcépsq; feratur,
Æquali curſu ſpatium metitur utrumq;
Et néve hoc citiùs graditur, nec tardiùs illoc:
Carleſſo patrii nil ſentit abeſſe vigoris;
Sed ſcandit pede, quo vel per declivia currit.
Cedit *Mordantus*, campum execratus iniquum,
Et ſatìs eſſe locum cenſet ſervare ſecundum;
Sed *Splintum* fidens ſéq; ad meliora reſervat,
Si meliùs tandem aſpiret fortuna labori.
Perventum ad poſtes, quos mirâ circuit arte
Brudenellus, radénsq; tenet compendia curſûs.
Mordantus ſequitur, ſequitur Dominúsq; *Cripelli*
Offleius; verùm magno ſatìs intervallo,
Parcens cautus equo, ſéq; ad poſtrema reſervans.
Inde reverſi omnes, quo cœptum eſt, ordine currunt;
Donec conſpectum metæ venêre ſub ipſum.
Hîc *Mordantus* equum, cratera in poſte locatum
Ut videt, alloquitur, " Si qua eſt tibi gratia noſtrî,
" Si quis amor Domini de te bene, *Splinte*, merentis,
" Effugias prior, atq; illo me munere dones."
Sed riſit fortuna preces, námq; impiger omnes
Effudit quanquam vires non degener ortûs,
Nunc hâc, nunc illâc *Splintus* prævertere tentans,
Junctóq; exæquans nonnunquam corpore curſum,
Non ſuperare datur; poſt irrita cœptáq; primus
Brudenellus ſubit, & metam poſt terga relinquit.
Brudenellum ingeminant læto clamore cohortes.
Turba ruit, quò quemq; trahit ſtudiúmq; favórq;:
Plurima ſed circum *Carleſſum* tendit; at ille
Ibat victor ovans, & parto lætus honore,
Ultrò ſpectandum ſeſe mirantibus offert,
Arduus erecto capite, & cervicibus altis.
In formâ ſtupuit vulgus, ſtupuêre periti:
Hi caput exiguum, longa illi ac ardua colla,
Et raras per colla jubas; hi frontis honorem,
Flagrantéſq; oculos laudant, auréſq; micantes:
Hi nares patulas, demiſſum pectus in altum,
Et tergum æquale, & coſtas per terga tumentes:
Deniq formoſas extremo in corpore clunes:

Crura

Crura pedéſq; alii modulis mirantur, at omnes
Exhauſto integras tanto certamine vires,
Invictúmq; animum, & rurſus certare petentem.
Expediunt famuli ſtrigiles, & corpora tergent,
Sudoréſq; graves certatim ſtramine puro
Exſiccant, & veſte tegunt, ſelláq; recingunt.
Tum functi officio, docto dant inde miniſtro,
Qui regat aſcendens, & in aëra ducat apertum
Ex turbâ, quo liber eat magis halitus, & nè
Frigore, ferventes, torpor malus, occupet artus.
Nec reliquos ea cura fugit, quin conſpiciuntur
In campo ſimul omnes, lenibus exercentes
Curſibus, aut placidi captantes frigus apricum,
Atq; alacres ſtadii expectantes ſigna ſecundi.
Mox ubi ſat ſpatii revocandis viribus, atq;
Tempus adeſt fixum duros iterare labores,
Conveniunt in equis omnes ad limina nota
Magnimi Heröes, poſcunt ſignúmq; frementes,
Exiliúntq; dato: Primus *Mordantus*, at illum
Non ſegnis ſequitur *Brudenellus*, tertius ambos
Offlius, admiſſóq; premit veſtigia paſſu.
Mordantum inclamant omnes, & præmia ſpondent.
Multa gemens ignominiam *Carleſſus*, & iræ
Impatiens frendet, dentémq; in dente fatigat
Ardens, imperio & vix tandem paret herili.
Sed cohibet Dominus, magnâq; ita vòce profatur,
" Quò ruis indocilis? dabitur conatibus hora
" (Ne dubites) ſatis apta tuis; nec plura moratus
Carpit iter cohibens, & quo prius ordine pergit.
Mox ubi perventum ad ſurgentis limina collis,
Laxat fræna manu, conceſſis gaudet habenis
Carleſſus, patrio tenditq; per ardua paſſu.
Jam *Splintum* aſſequitur, jam præterit, atq; prior tres
Signa revertendi tranſit per culmina poſtes.
Mobilis inclamat *Brudenellum* nomine turba;
Inclamant alii, nec tantum mobile vulgus.
Deſcenſus faciles, jámq; & declivia nactus
Perſequitur *Splintus*, tergóq; prioris inhæret,
Et gravis exæquat ludens fortuna labores.
Æquati incedunt, nec *Carleſſo* effugere ipſi,
Nec *Splinto* ſuperare datur, conatibus ullis,
Junctus equo ſed equus, pede pes, junctúſq; viro vir.

Ut

Ut metam aſpiciunt, expoſtâq; præmia, uterq;
Quadrupedem inſtigat Dominus, viréſq; requirit
Calcibus extremas, & viribus advocat artem:
Obliquántq; gradus, evaſurúmq; retentant
Corporis oppoſitu, rectóq; ex tramite pellunt
Alternis vicibus, nam quâ jam ſiſtitur alter,
Mox alter præiens ab eâdem ſiſtitur arte.
Dum ſic certantes mox in diverſa feruntur
Collis, & excedunt notâ regione viarum,
Ecce *Cripellus* adeſt, & recto limite tendens,
Fortè ferente, locum properat capere ante priorem.
Carleſſum increpitat tandem *Brudenellus*, & inquit,
" Flamine num *Splintus*, vento & conceptus inani
" Hos animos, tu Solis equus inglorius ibis?
" At non ille, ſatum, quo te mentire *Phlegonte*,
" Talis erat, tu vel falſus, vel degener hæres."
Senſerit ut Quadrupes (certum eſt ſenſiſſe) pudore
Accenſus revocat vires, *Splintúmq;* relinquit:
Sed prior acceſſit metam ſuperátq; *Cripellus*.
Exclamat vicibus populus lætatus, & omnes
Tertia deberi ſibi jam ſpectacula gaudent.
Mox ubi ſuffectæ vires, requiéq; novatæ,
Quadrupedes famuli ad certamina tertia ducunt,
Et Domino dant quemq; ſuo, conſcendere at illis;
Nulla mora eſt, ſed continuò data ſigna repoſcunt
Sublimes in equis ſimul omnes, arte locati.
Ceu venti erumpunt, clauſo quos Æolus antro
Invitos tenuit, tandémq; emittit in auras,
Ut convexa poli, terras ut turbine perflent,
Cuſpidis immani montem cum perforat ictu,
Corripiúntq; viam: primus *Carleſſus*, at illum
Impiger inſequitur *Splintus*, *Splintúmq;* *Cripellus*,
Et quem quiſq; locum cepiſſet, ſervat eundem.
Nec vero quiſquam *Carleſſum* anteire parabat,
Collibus, & clivis nondum poſt terga relictis;
Quod prohibent vires expertæ, & cognita virtus.
Sed cum planitiem tandem ventum eſſet ad imam,
Quæ ſpectat metam, plus paſſûm millia diſtans,
Mordantus clamat magnâ ter voce; " Venimus,
Impellens *Splintum* ſtimulis ſimul atq; flagellis:
Et cum jam aſſequitur, ter clamans; " Venimus, inquit
" Nec quiſquam eripiet mihi te Deus, audiat ipſe
" Phœbus, cujus equi genitum de ſanguine jactas

" *Carleſſum, Brudenelle,* tuum, ſed ſanguinis autor
" Ipſe Deus *Splinto* eſt, habeant ſi numina venti :
" Quod tibi ſi dubium eſt, mox ipſe fatebere victus.
Rides, Phœbe, minas, eventi præſcius, atq;
Hâc vice ſi ſolâ ſuperet, non multa moraris,
Dum ferat extremum *Brudenellus* victor honorem.
Sed non *Brudenello* incerto ridere vacabat;
Nam ferus inſtat equo *Mordantus,* & impiger urget,
Nunc cervice prior, nunc cum cervicibus armis,
Nunc capite & collo victus : ſic cedit uterq;,
Affectos ut ſentit equos; inſtátq; viciſſim :
Viribus & ſolis non certat, certat & arte.
Ad metam ut propiùs ventum eſt, & limina prima,
Brudenellus Splintum totas effundere vires,
Nec quicquam ad curſum *Mordantum* parcere quartum
Ut videt, exclamat, " facilis victoria nobis
" Proxima, *Mordantus* palmam hanc ſibi ſumat inanem :
Cedit ponè ſequens, *Splintúmque* urgendo fatigat:
Ille ſubit primus, ſubeunti hic proximus hæret.
It cælo clamor procerum, populíq; faventis:
Reſpondent pulſi colles, vocéſq; remittunt.
Mobile proſequitur victorem vulgus, at ille
Confectus curſu, longíq; laboris anhelus,
Debilis incerto fertur pede, ſpiritus acer
Fractus, cúmq; animis vultus cecidêre minaces.
Nec tuba, nec reficit plauſus, quin triſtis, & æger,
Triſte, niſi ignaris, præbet ſpectantibus omen.
Contra *Carleſſus* nihilo dum ſegnior ibat,
Quàm primo rediit curſu, de naribus amplis
Dat fremitus, crebris pellítq; hinnitibus auras;
Et quâ voce poteſt victorem provocat hoſtem.
Accurrant famuli rité fidíq; miniſtri:
Ille ferit terram crebro pede, & irrequietus
Fræna rapit, calcêsq; graves, morſûſq; minatur.
Mox ubi tempus adeſt quarto contendere curſu,
Conveniunt omnes, *Mordantus* at ultimus, illum
Tardat equus, non ſat curâ, requiéq; refectus,
Nec mirâ tandem nigri *Darlonis* ab arte.
Hic pecorum morbos, morbísq; remedia cunctis,
Herbarum hic uſûs, magicas hic noverat artes,
Atq; novas potu medicato infundere vires.
Sed fruſtrà in *Splinto* ceſſit, tantò impigra virtus,
Carleſſi & magicâ, & cunctis pollentior herbis.
Tum vero alloquitur *Mordantum,* & increpat ultrò

Brudenellus, " Tandem venisti, ait, attamen antè
" Semper primus eras; vereor nè, *Splinte*, tuæ te
" Deficiant vires, ventíq; elangueat ardor.
" Certè victus eris, cedes ipsíq; *Cripello*,
" Ni frustrà augurium, cujus tuus ipse Magister
" Numina contemsit, docuit me vanus Apollo.
" Hoc *Mordantus* ait nunc jam experiemur agendo,"
Atq; canente tubâ levis evolat. Impetus atqui
Vísq; brevis *Splinto*, Dominus nec gaudia longa
Carlesso superante capit, nam protinus illum
Præterit, & volucer longè fugit; æstuat ægrum
Acer agens *Mordantus* equum, & declivia sperat.
Quò simul ac ventum est, *Splinto* non parcit anhelo,
Ilia sed, latósq; fodit calcaribus armos
Nequicquam, sudoris eunt cum sanguine rivi.
Deficit infelix, documentum insigne manétq;,
Semina quid rerum valeant, atq; ordia prima.
Nam pater ut rapidis interfurit æthera ventis
Impete terribili, mox, cum deferbuit æstus,
Próq; fragore gravi, próq; horrisono mugitu,
Imbelles flatus, crepitacula languida reddit:
Natus ita est. Sed *Carlessus*, cœlestis origo
Cui datur, æthereæ concepto semine flammæ,
Et pater æternos solitus tolerare Labores,
Æqualis, similísq; sui prima, ultima transit,
Indefessus opus peragens, nec claudicat hilum.
Et jam *Carlessum* superare, aut tendere contra
Mordanto spes nulla subest, metuítq; *Cripellus*
Nè vincat, diíq; hoc avertite dedecus, inquit,
Surdis vota deis faciens; infensus *Apollo*
Urget, & haud patitur violatum numen inultum.
Assequitur tardus tandem, superátq; *Cripellus*.
Tu subiens ambos longè *Brudenelle* relinquis,
Et spoliis tandem lætaris victor adeptis.
Sed magè lætatur populus, plebes, proceréq;,
Fortunam & tandem gaudet faviisse merenti.
Innupta ante omnes, precibus votísq; potita,
Jam nova vota facit, sic cedant omnia, & O si
Ut cedant juveni, juvenis mihi cederet ipse!
Utq; optare tuo est, sit fas prædicere vati,
Certam hanc esse fidem promitto, oménq; futuri:
Sic semper vinces, *Brudenelle*, per omnia, & ævi
Decursum ad spatium similis fortuna sequetur.

FINIS.



FINIS.